NOBILISSIMO ADOLESCENTI

JOANNI HENRICO BREYNIO,

MAGNI AVI

JACOBI BREYNII,

CELEBERRIMI OLIM BOTANICI
NEPOTI;

MAJORIS PARENTIS,

JOANNIS PHILIPPI BREYNII,

M. D. ACAD. IMPERIAL. NAT.
CURIOS.

NEC NON

SOCIETATIS REGIÆ LONDIN.

SODALIS LONGE DIGNISSIMI

MAXIMÆ SPEI ATQUE INDOLIS
FILIO

S.

Biennium eſt, & quod excurrit, AMANTISSIME BREYNI, cum ex intentione NOBILISSIMI PARENTIS, meoque erga TE affectu XII. primorum Imperatorum Ectypa ad faciliorem hiſtoriæ Romanæ addiſcendæ uſum lubens Tibi dedicarem.

Dici vix poteſt, quanta tum quidem quamque maxima perfuſus fuerim lætitia, quum oblatum hoc munuſculum non avidiſſime modo exciperes; ſed & eleganti admodum terſaque ſatis epiſtola latina uberiorem eorum explanationem impenſe a me rogares. Quidni hoc ceu indubium incentivi tui, illa quidem tenera adhuc ætate, ſciendi ardoris teſtem mirarer plane & acciperem?

Accepi ſane ita miratusque ſum, & jam libere profiteor, acerrimum id mihi ad dedicandam Tibi hanc opellam calcar addidiſſe. Specimen eſt, quem numiſmata

uſum

uſum præbeant, quam lucem affundant hiſtoriæ, quæ prout, Plinio meo interprete, quoquo modo ſcripta delectat, ita cum maxime grata jucundaque lectu eſt, ſi facta numis illuſtrantur comprobanturque.

Jam quemadmodum ſpe lactor firmiſſima, fore ut hoc quicquid demum eſt opuſculi, benevole excipias: ita etiam jure neceſſitudinis, quæ cum NOBILISSIMO PARENTE tuo mihi, indigno quidem, diu intercedit, TE & hortor & admoneo, ut in laudabiliſſimo, quod tam egregie cœpiſti, ſtudiorum ſtadio ſtrenue porro decurras, paternaque premas veſtigia, & identidem cogites, quibus imaginibus onereris, quæ Nomina ſuſtineas. Vivum illud idemque optimum exemplar imitandum Tibi ſtatue, Parentem tuum, qui elegantiorum litterarum culturam cum Artis ſalutaris naturæque perveſtigandæ ſtudio feliciter adeo conjunxit, dubium ut ſit, pluſne hoc Illi admirationis apud

exte-

CONRECTOR ET PROF. GYMN. ELBINGENSIS.

exteros comparaverit, an illa venerationis apud ſuos.

Scio quem animum, quod horter ingenium: Enitere itaque, MI BREYNI! atque id cumprimis age, ut ſpem de TE omnium recte conceptam non adimpleas modo; ſed & ſuperes. Ita cum Eruditisſimo Parente, totaque adeo Familia tua ſplendidisſima bene TE valere, remque ex voto gerere percupio

T. T.

Dab. Elbingæ, ipſis nonis Octob.
A. O. R. CIↃ IↃ CCXXXIII.

Addictiſſimus
G. D. SEYLER.